



**Eryci[i] Pvteani Pietatis Thavmata In Bernardi Bavhvsii[i]
è Societate Iesv Protevm Parthenivm**

Puteanus, Erycius

Antverpiæ, 1617

I. Stellæ & Dotes magis expensæ: illas, videri infinitas; sed has esse.
Proteus an sit, an videatur? Virgo πανσελην[ος], omnibusque stellis clarior.
Versus Miraculum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70659)

IN PROTEVM PARTHENIVM. 83

Virginem: Encomium Virgo facit, facit cælum. Encomium tamquam stellis conspersum, & cælum versibus illustratum. Crescant stellæ, infra Virginis tamen Dotes stellæ erunt: crescant versus, Virginis *χαιοματα* Proteum tamen vincunt.

THAVMA I.

Stella & Dotes magis expensa: illas, videri infinitas; sed has esse. Proteus an sit, an videatur? Virgo πανσθενος, omnibusque stellis clarior. Versus Miraculum.

MIRACVLA quis in dubium vocet? Proteus Miraculum est: & cælum, cuius imaginem Proteus sumit, Miraculum est. Proteus est cælum: imò tot in vno versu Protei, aut tot in vno Proteo versus sunt, quot in cælo stellæ. Has numero, nec tamen numero. Si oculis fides, innumeræ sunt & infinitæ. Dei voce vtar: *Suspice cælum, & numera stellas, si potes. Quid dicam? Cogita Virginem, & numera Dotes, si potes. Stellas nemo numerabit, sed nec Dotes. Iam fateor, amplius in Virgine esse, quàm in Proteo. Superare Virgo cælum potuit, quidni imaginem cæli? Imago cæli Proteus est: an iam imago? vincitur. Omnes Protei μορφώσεις, & μεταμορφώσεις versus numero definitæ sunt: sed nullâ numeri lege comprehendi omnes illæ stellarum scintillæ*

L 2 queunt.

Genes.
cap. xii.

queunt. Nullâ, inquam, nullâ; sed si Virgo nostra non luceat. Illa verò à Sole suo assumpta est, imò accensa est, & iam cælum illustrat, stellas obscurat. Lucet, sed semper *πανσέλνιος*. Sic ergo
conditur omne

Stellarum vulgus, fugiunt sine nomine signa.
 Sed remanent, quæ numerari possunt, quæ Dotes Virginis loquuntur, non æquant, ostendunt, non explicant. Pergite, pergite; etiam sic loqui, & sic ostendere, pulchrum est. Lucete stellæ, Virginem cingite, Lunam ornate, vos quæ conspicuæ estis; vos Poëta versibus exprimet. abite, delitescite, ignem luménque contrahite, quæ ignotæ estis; Virginis iam Dotes stellæ sunt, serenæ sunt, æternæ sunt, totúmque cæli diem superant. Hem, quò deuoluor? Quò magis iam capio & intelligo sidera, magis Dotes admiror Virginis. Sidera innumera & infinita sunt, si lumen suum Virgo debilitet: pauca sunt, si exferat & intendat. Sed vinci pauca Dotibus, quid mirum est? vincuntur innumera. Proteus, quas distinxit stellarum *μορφώσεις*, expressit: & sic tamen mirus variúsque fuit: quas non distinxit, ne referre quidem potuit. Cælum miraculum est: sequitur Cælum Proteus, & hoc miraculum. Virgo miraculum est; sic & Versus, qui Virginem sequitur.

THAV-